Examinans quæstionem,

UTRVM SONVS CAMPANARVM INgruentem tonitruum ac fulminum tempestatem, pruinas item, nec non spectra ac Diabolum, depellere & abigere queat?

Quam

Εἰ ἐν κύριῳ θελήσῃ καὶ ζήσωμεν,

Præside

Viro Excellentissimo, Doctissimo,

D. GODEFREDO SPINÆO, L. A M. Philosophiæ, nec non Græcæ Linguæ in Illustriss. Arnoldino Steinfurtensi, Professore celeberrimo, Philosopho acutissimo, p.t. Pro-Rectore Magnifico, Promotore ac Fautore suo plurimum observando, colendo.

Exercitationis ergo, publico subjicit examini,

JOH. IACOBUS WAGNERUS. Tigurinus A:& R.

Ad diem Januarij loco horisque solitis.

Dno Homero.

STEINFVRTI,
Typis Cornelij Wellenberg, Gymnasij Typographi.
M. DC. LXI.

Fa

CORNELL UNIVERSITY LIBRARY

A510729

VIRIS

Excellentissimis, Experientissimis, Doctissimis,

D. JOH. RODOLPHO GIGERO, Medicinæ Doctori experientissimo, Physicæ Gymnasii Patrii Professori clarissimo, Collegij Carolini Præposito dignissimo, Præceptori ac Fautori maxime devenerando.

D. JOH. HENRICO HOTTINGERO, S. S. Theologiæ Doctori, ejusdem, nec non Orientalium Linguarum, in Illustriss. Heidelbergensi Academia, Professori celeberrimo, Collegij Sapientiæ Ephoro vigilantissimo, Senatus Ecclesiastici Assessori meritissimo, Hospiti ac studiorum suorum promotori gratiosissimo.

D. JACOBO ZIEGLERO, Medicinæ Doctori excellentissimo, Avo suo, eâ qua par est observantia, dum spiritus hos reget artus, colendo, amando.

D. JOH. HENRICO HEIDEGGERO, SS. Theologiæ Doctori, ejusdem, ut & Historiæ Sacræ, in Illustriss. Arnoldino, quod est Steinfurti, Professori dignissimo, Cognato ac Hospiti suo, nunquam non venerando.

D. CHRISTOPHORO ZIEGLERO, Medicinæ Doctori clarissimo, Illustriss. Reipubl. Bernensis Poliatro celeberrimo, Avunculo suo dilectissimo.

D. EMMANUEL HURTERO, Medicinæ Doctori Illustriss. Reipub. Scaphusianæ doctissimo, Cognato suo perpetim honorando.

Exercitationem hanc Philosophicam

In grati animi μνημόσυνον,

Honoris ac amoris τεκμήριον,

Ulterioris favoris ὁρμητήριον,

D. D. D.

Johannes Jacobus Wagnerus. Auctor & Resp.

Quæstio.

UTRUM SONUS CAMPANARUM TEMPESTATES DEPELLERE QUEAT?

EX innumera errorum congerie, varijsque superstitionibus, Sathanæ artibus conflatis, Gentilibus traditis, inque Papatu deinceps etiam receptis, hæc quoque hac perversissima incruduit tempestate, ut sono campanarum, imminente gravi aliqua tempestate, aëris crassiores vapores, fulmina, fulgura, spectra quinetiam dispelli posse existiment. Hujus rei falsitas & turpitudo ut in apricum proferatur, ac omnibus pateseat, methodice nobis est procedendum.

In præsenti igitur quæstione tractanda, ipso in limine, considerandum quæstionis propositæ tum *subjectum*, tum *prædicatum*, occurrit. *Subjectum* in verbis: *sonus campanarum*, consistit. *Sonus* autem, apud Physicos, *est qualitas, ex percussione aëris, inter duo se invicem vehementer collisa corpora, orta, quæ auditum nostrum ferit.* In definitione nostra, genus soni, *qualitatem* statuimus, & quidem qualitatem παθητικὴν, non quod subjectum, cui inest sonus, quicquam ab illo patiatur, sed quia passionem in nostro efficit auditu. Addidimus: *ex percussione aëris, inter duo se invicem vehementer collisa corpora, orta.* Ut enim fiat sonus, duo polita ac solida corpora,

quorum alterum sit percutiens, ut pistillum, alterum vero percussum, ut campana, requiruntur. Cum autem duo corpora se invicem percutere nequeant, nisi per aliquod medium, ideo aër intercedit, qui passionem hanc suscipit, & ita sonus oritur. Postquam vero aër percussionem sustinuit, fit motus in aëre. Motus hic longe lateque sese dissipat, in eum ferme modum, quo videmus lapillum, in aquam injectum, undas circulares, alias post alias excitare, quem motum quidam undulationem appellare consueverunt; hac undulatione, á vero haud longe dissitum videtur, sonum, durante aëris motu ad maximam distantiam propagari, ac ad aurium nostrarum pervenire concavum per hosce aëris gyros, atque hic ad tympani pelliculam & aërem interiorem allidi; qui alterum est auditus medium. Nam ut aër exterior pulsatur á collisione corporum solidorum: sic interior hic ab aëre exteriori percutitur, ac imaginem soni externi intus excipit, ossiculorum trium mallei, stapedis & incudis, interventu. Denique per anfractus angustos seu labyrinthum, ad intimum cochleæ recessum ac basin nervi auditorii defertur, quo specie perlata, auditio exurgit.

Vocis Campanæ originem deducunt á voce *Campania*, Provincia Galliæ, quæ nomen ab ingenti planitie, seu campis adepta est. Ibi enim repertas esse plerorumque est sententia, quod tamen incudem veritatis sustinere vix potest. *Thalmudista* Cam-

Campanam, nolam ac tintinnabulum מצלתים appellant. *Chaldæi* נקש á נקישות quod *concutere se invicem, pulsare, collidere*, significat. *Hebræi* Campanam vocant פעמון á percellendo mutuis vicibus, quodque hinc inde attactum, pistillo suo edat sonum. Deducitur autem á פעם *per vices egit, agitavit vices, vicissitudine percussit*. *Germanis* dicitur Glock, vel Gloggs, quod nomen fictitium, á sono per ὀνοματοποιΐαν factum; qua ratione *Latini* aliis etiam utuntur vocabulis, à sono desumptis, ut taratantara, bombarda, tintinnabulo. *Latini* Campanam Nolæ nomine etiam insignivêre, á *Nola*, *Campaniæ* urbe appellata, juxta plerorumque opinionem. Quandoquidem autem campana pro illo etiam usurpetur instrumento, quo janua pulsatur; ἐν τῷ πυλῶνι pro eo nos accipimus *instrumento concavo, ex metallo conflato, quod ad distinguendas horas, publicos indicandos actus, pulsatui est idoneum.*

Hîc ab instituto nostro haud erit alienum, in eam inquirere sententiam, quando campanæ sint inventæ? Plerique Authores in ea sunt opinione, *Paulinum Episcopum Nolanum*, qui circa seculum V, salutaris ἐνανθρωπήσεως, vixit, harum esse inventorem. Verum eas ante ipsum compertas ac in usu fuisse, probatu non est difficile. Ac primum authoritatem *Iosephi Antiq. Iudaic. lib.* 3. in medium

roferimus,qui, referente *Polyd Virgilio, de Invent: rum l.3.c.18.* Moſis temporibus, earum uſum fuiſ-, teſtatur. *Thucid.* huic etiam calculum addit ſuum, um *lib:4. apud Græcos vigiles in cuſtodiendis civitatis uris, tintinnabulis uſos fuiſſe*, aſſeverat. Quinetiam *Iuſonii* carmina id affirmant, exque iis colligi poeſt,cum Epiſt.25. hunc in modum canit;

Cymbala dant ſictu ſonitum, dant pulpita ſaltu
Icta pedum, lentis reboant cava tympana tergis.
Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus,
Nec Dodonæi ceſſat tinnitus ahæni
In numerum quoties radiis ferientibus icta,
Reſpondent dociles moderato verbere pelves.

Accedit teſtimonium *Porſhyr.lib: IV de Abſtinent.* quiex *Bardeſane*, viro *Babylonio*, ſcribit. *Itaque tintinnabulo ſignum dante omnes in domum properant, ex qua bona pars Samanæorum non egreditur, reliqua precibus, occupata. Vbi vero preces abſolutæ, rurſus tintinnabulum pulſatur.* Ex his ſatis comprobatur, Campanas ante *Paulini* tempora fuiſſe inventas; adeoque probabile, magiſque veritati conveniens eſt, *Paulinum*, qui ſanctimoniâ vitæ fuit ſpectabilis, Gentilium ritus correxiſſe campanaſque ad ſacrum uſum contuliſſe, ut remotiá Templo, eo vocarentur. Primus autem earum Author nos latet. Reſtat *praditum.*

Tempeſtates aliæ ſunt *naturales*, aliæ *præternaturales ſeu prodigioſæ. Præternaturales* tempeſtates eas vocamus, quarum cauſa naturalis reddi nequit; ſeu: quæ præter communem rerum ordinem fiunt, ac

qua-

7.

quarum causæ soli divino patent Numini ; ut cum locustæ, anates ac anseres pluunt, quomodo in *Croatia* contigisse, *Ioh: Leonclavius in Annalibus* ad annum 1587. oculatus commemorat testis. Item, cum lacte; sanguine, ferro; lapidibus; carnibus pluit, quales pluvias *Livius Lib:* III. XXII. XXVI. &c. contigisse, asserit. Tales nonnullas mirandas pluvias quoque apud *Doctissimum atque Experientissimum Medicum ac Philosophum, Dn: Iac. Zieglerum, Avum meum omni obsequii genere, æviternum colendum*, in eximio suo, de *Fermentatione*, tractatu, *cap* 15. *pag* 37. videre licet. *Naturales* sunt, quæ ex causis naturalibus constant , eæque pro causarum naturalium requisito, contingunt. Harum vero aliæ sunt *periculosæ*, aliæ *minus periculosæ* : *Illæ*; cum tonitru ingruit, ac lurida cœlum atraque contectum nube , fulmine coruscat; jaculis igneis, crebrisque ignibus æthera micant, turbines procella, grandines ovorum magnitudine cum impetu irruunt ac decidunt ; arbores , vineas atque segetes vastant. *Hæ*, sunt ventus, pluvia, imber, nix; quæ tamen quandoque etiam impetuose irruunt , magnumque damnum inferre possunt.

Prælibatis hactenus iis, sine quibus ad quæstionem principalem pervenire non licuit : restat , ut κεφαλαιωδέστερον καὶ κυριώτερον dispiciamus. Quæritur ergo : *Vtrum sonus campanarum ac tintinnabulorum ingruentem tonitruum ac fulminum tempestatem, pruinas item, nec non spectra ac Diabolum depellere ac abigere queat?*

Apud Pontificios hæcce inolevit opinio, sono com-

campanarum aëris crassiores vapores , fulmina,fulgura,pruinas , imo ipsum Diabolum dispelli posse. Propterea institutum á *Iohanne, Romano Pontifice*, ejus nominis XIV. ut baptizarentur campanæ , & baptizatis nomina darentur,prout ipsemet majori campanæ *Lateranensi* nomen imposuit. Qui mos paulatim in Ecclesia irrepsit ut ex veteri Legenda liquet, & accessit hæc superstitio, quod nimirum tincti, æris sonitu fugetur Diabolus,prȩveniantur fulminum ictus &c. quod testatum dederunt *Centuriat: Magdeburg. Cent. X. cap.* 6. Confer. *Bellarm. de Rom Pontif: l.*4. *c* 12. Ita quoque testatur *Martin. Delrio, Disquis. Magic. l.*6. *c.*2. *sect:*3. *quæst:*3. *Docet experientia quotidiana, Dæmonibus sonum campanarum adeo infestum ac inimicum esse, ut ab iis, excitatæ tempestates vel ingruentes impediantur, vel jam ortæ sedentur & alio avertantur.* Accedit *Durandus, Rational:* lib. 1. c. 4. qui campanas ideo pulsari commemorat . *ut per tactum & sonitum fideles invicem invitentur ad præmium, & crescat in iis devotio fidei, fruges mentes , & corpora credentium serventur, procul pellantur hostiles exercitus, & omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum , impetus tempestatum & fulgurum temperentur ; infestaque tonitrua, & ventorum flamina suspendantur, spiritus procellarum & aëreæ potestates prosternantur &c.* Tales sexcentas campanarum virtutes ibi recenset, quas hic recensere brevitatis ergo supersedemus.

Nos quidem diffiteri non possumus , sonum, quippe subtilius quid & spirituale , aërem facile penetrare , proximum aërem campanarum complosu mo-

moveri; ac aliquantum infringi: verum quod fulmina, pruinas, ſpectra, Diabolum arceat, ac in fugam convertat, negamus ac pernegamus. Imo pertendimus hoc omni adverſari rationi, & tanquã ſuperſtitioſũ ac á Gẽtilibus hauſtũ, cẽſeri debere, Itaq; ſequẽtibus, ſentẽtiã Pontificiorum, infringimus Argumẽtis.

I. In omni actione transmutativa, ſeu. Inter omne agens & patiens aliqua debet eſſe proportio, ita ut, quemad modum illud vim habet agendi, ita hoc vim habeat patiendi. Sed qualis quæſo eſt proportio inter ſonũ campanarũ & nubes, cũ nubes in media aëris regione exiſtentes, á campanis ac tintinnabulis ſonum edentibus, pro locorum diverſitate III. V. X. & ultra milliaribus diſtent? Poſito vero, ſonum aliquantis per agere, attamen ad tantam diſtantiam, ſphæram ſuæ activitatis extendere nequit, cum paulatim vires ejus comminuãtur, atq; adeo amittat. II. Si ſonus campanarum poſſet fulmina ac tonitrua profligare, ũ debilius poſſet agere in validius. Sed falſum conſeqẽs. Ergo & antecedens *Conſequentia propoſ:* probatur, quia fulminea materia, ex vaporibꝰ calidis, oleaginoſis ac ſulphureis conſtans, á ſole in ſublime evecta, in nube denſa comprehenſa ac intercepta, eiq; involuta, magis magiſq; premitur ac coarctatur, inq; unũ ob ἀντιπερίστασιν cogitur. Soni vero vis atq; efficacia neutiquã tanta eſt, ut hanc horrendã nubiũ molẽ pervadere, multo minꝰ eã alterare, ac ex integra aliqua regione abigere queat. Quod vero conſequens ſit falſum duabus probamus rationibus: altera quidem eſt, quod omnis actio reſpectu patientis dependet á victoria agentis. Hinc Axioma Phyſicum. *Omnis actio eſt á prævalentiori*, ſeu

ut *Scalig.* effert: *Actio fit à valentiori.* Altera vero est, quia *Vnius cujusque rei operatio, non potest sese exerere ultra suum posse*; vel *Quod quid non habet, alteri dare nequit.* III. Si sonus campanarum pruinam ac grandinem avertere potest, tum æque nivem avertere omnem potest. *Sed fals. conseq.* Ratio consequentiæ est manifesta, quia grandinis, pruinæ ac nivis, eadem est causa efficiens & materia. IV. Cur non potius tonitrui, qui horribilis sonitus', sonum campanarum multis parasangis superat, vim depellendi fulmina, adscriberent? Argumentum est ad hominem. V. Si ea vis soni campanarũ, tum omnes Papicolæ, ad quorum aures talis vis pervenit, á percussione fulminum; incursione turbinum, calamitate tempestatum & Diaboli essent securi; sed quî fit contrarium? cur apud ipsos æque ac apud alias Gentes, quæ campanas in sonum non dant, tempestates excitantur? cur turres frequenter hinc inde á fulminibus petuntur? cur à Diaboli insidiis non sunt tuti? Imo magis etiam invaduntur & torquentur, uti in obsessis & possessis illorũ, á malis spiritibus, cottidie apparet? VI. In omni actione, ut sit aliqua mora, quo agens, subjectum recipiens ferire queat, est necessum. Sed in sono campanarum nulla est mora, quo nubem, ad mugitum sese præparantem ferire possit. E. *Major* patet, quia finita potentia non aliter quam successive agere potest, & nisi mora aliqua justa actioni concedatur, sed ea in instanti seu continenti fiat, effectum sortitur nullum. E C. Pruna, si in continenti manui vel corpori injiciatur alicui, damnum infert nullum, sed inviolatum

tum permanet. Nec manum usseris, si subito per flammam moveris. *Min prob*: Quia sonus campanarum ultro citroque diffiatur, in auras abit, ac cito evanescit. VII. Nulla qualitas patibilis cadit in spiritum. Atqui sonus campanarum est qualitas patibilis. E. *Maiorem propos.* duabus stabilimus rationibus. Altera est, quia illud, quod qualitatum patibilium est capax, tale est potentia, quale agens est actu. U. C. Si corpus est calidum actu, spiritus talis esse debet potentia, id est, ut incalescere posset. Altera vero est hæc: Quicquid patibili agit qualitate, id ideo agit, ut hoc, in quod agit, reddat sibi simile. U. C. Si calidum agat in corpus, ideo in id agit, ut incalescat. Atqui hæc absurda sunt, hac enim ratione, spiritus corpus evadere posset; si etenim fieri posset calidum quid actu, eo ipso, quod hasce reciperet qualitates, esset corpus, cum hæ qualitates sint corporum. *Minor* autem propositio, quod sonus campanarum sit qualitas patibilis, supra jam ostensa ac probata. VIII; Si sonus, qui est qualitas patibilis, ageret in Dæmonem, tum corrumperet eum; nam, quicquid agit; id ideo agit, ut corrumpat priorem formam, & patiens sibi simile reddat. Si corrumperetur, esset alterabilis. Quod est alterabile, illud est mortale, adeoque Dæmon & consequenter omnes spiritus essent mortales, quod ἄτοπον. Adde: Si Diabolus corrumperetur, compositus esset ex qualitatibus alterabilibus, atque sic etiam corporeum esse, concedi oportebit. IX. Quod vero *Durandus* campanis hanc vim tribuat, *ipsarum tactu & sonitu infidelibus, devo-*

tionem fidei crescere, fruges, mentes & corpora credentiũ servari, miror qua fronte hæc proferat, quave fide id á Deo peti possit? Sane impietate summa sententia hæc *Durandi* non vacat.

Quod si ab Adversariis quæras, undenam sono campanarum hæc sit vis? Responsum tenebis *à Martino Delrio, Disq. Magic. lib. VI. cap. 2. sect. 3. quæst. 3. Effectus illos*, inquit, *non tribuimus formæ, seu arti, vel naturæ metalli. Non obtusa adeo Catholici pectora gestamus, nec sol veritatis ab Ecclesia tam procul aversus, radios suos elongavit. Non asserimus quod Petr. Mexia (in Silvcs. variar. lect lib. 2. cap. 9. discuti has procellas vi sonitus aërem dissipantis. Tribuimus ergo vim efficientiam ó omnem consecrationi seu benedictioni, sic divino jussu seu dispositione operanti. Servire quam Dæmones hunc sonum, quasi Dei vivi imperantis fugam agnoscunt præconium.* Audiendus etiam *Durandus*, ante citati loci num. 15 *Causa*, ait, *quare Ecclesia videns concitari tempestatem, campanas pulsat, scilicet ut dæmones tubas æterni regis, id est campanas audientes, territi fugiant, & á tempestatis concitatione conquiescant.* Verum respondemus. 1. Hoc esse fictitium, & purum putum commẽtum. Ubi in Sacro Codice de divino jussu & dispositione benedictioni creaturarum concessa, ut talia efficere queant, aliquid extat? Probent prius voluntatem divinam, primo de pellendis Dæmonibus á consecratione seu benẽdictione; deinde per campanas, seu aliam aliquam creaturam. Negry quidem proferre possunt. 2. Reponimus, optimam ac ordinatam rationem avertendi regnum Sathanæ, esse S. Scripturam: attamen Diabolum sacras literas non aversari, imo eas le-

legere, indeque fallibiliter (uti ipsius fert mos) eum argumentari, ut ex colloquio ipsius cum Domino Christo, Servatore nostro, *Matth. cap.* 4 constat. 3. Si vel extremis labris *Durandus* Philosophiã gustâsset, non tam audacter assereret, tempestates á Diabolo excitari 4, Quid? quod ipsi majestati divinæ injuriam inferat *Durandus*, cum S. Scr tempestatum authorem Deum, non Dæmonem esse testetur. Ita enim Hieropsaltes *Psal.* XVIII. 14. 15. infit *Et tonavit in cœlis Dominus, & altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis. Et misit sagittas suas, & confregit eos: & fulgura jecit & perdidit eos.* Fulminaq; *Psalmo XCVI.* 4. dicuntur *ignis Dei: Illuminârunt* ברקיו *fulgura ejus orbẽ.* Adde quod *Iobi* XXVIII. 26 dicatur, Deum *facere viam coruscationi fulminum.* Sed & *Zachar*, x. 1. legas! יהוה עשה חזיזים *Dominus faciens fulgura.* 5 Fœdo hic error fuit Priscillianistarum, quando fulmina Diaboli opus, nõ diuinũ, arbitrarentur. Quem errorem jure concilium *Bracarense* primum cap. VIII. damnavit. Verba ejus, ut exinde *doctissimus Vossius, Theolog. Gentil: l.* III. *cap:* 6. retulit, ita sonant *Si quis credit, quod aliquas immundas creaturas Diabolus fecerit: & tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates, ipse diabolus authoritate sua facit, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* 6. Baptismus iste sive consecratio campanarũ est nefandus, ac abominandus Sacramenti Baptismi, á Christo instituti, abusq; & summa idololatria; temere nomine Dei abutũtur, dũ ad opinionẽ falsã hominibus imprimẽdã, id usurpant. Sic autẽ sese habet formula consecrationis: *Conse ✝ cretur & Sancti ✝ ficetur, domine signũ istud in nomẽ Pa ✝ tris, & Fi ✝ lii: & Spiritus ✝ Sãcti. Pax tibi.*

Exci-

Excipiunt *Cardinalis Bellarm: De Rom: Pontif. l. IV. c, 12. & Mart. Delrio, Non baptizari nolas, ſed eas tantum benedici.* Addit hujus rei rationem *Delrio: Benedicuntur, ut fragore ſuo ſpirituales hoſtes terreant & repellant, quid ſuperſtitioſi? Nomen illis in beati alicujus honorem imponitur, ut illius quaſi commendetur tutelæ vas metallinum, divinæ laudis inſtrumentum, quid dignum reprehenſione?* Sed nullius hili vel pili hæc eſt exceptio. 1. Poſito, ſed non conceſſo, iis tantum benedici, non baptizari, nullum tamen in S. Pandectis extat mandatum, ut creaturis benedicamus; cum eæ ex Dei creatione, jam ante ſint bonæ. Ergo benedictio hæc Deo placere nequit, adeoque eſt ſuperſtitioſa ac inutilis. 2. Negamus eos non baptizare campanas, nam ſi rem diligentiori trutina perpendamus, ſatis ſuperque patebit, omnes ceremonias, quas benedictioni campanarum tribuunt, eaſdem etiam S. Baptiſmati competere, adeoque meram ipſius eſſe profanationem. Probamus hoc: Campanę ab Epiſcopo vel Suffraganeo benedicuntur, adhibentur compatres qui fortuna ac divitiis pollent; aqua luſtralis, ſal, oleum, ſputum, chriſma applicatur, exorciſatur, nomen campanæ imponitur; aqua perfunditur; conſecratur in nomen Patris, Filij & Spiritus S. precibus, lectione pſalmorum ac Evangeliorum, Deo vel alicui Sancto commendatur. Quis autem eſt, niſi Tereſia ſit cœcior, qui hinc non colligat, eandem eſſe rationem benedictionis campanarum, quæ eſt baptiſmi infantis? Imo, quis non cernit, majori apparatu, majoribus precibus, benedictionem perfici

fici, quam si infans sacro Baptismatis fonte tingitur? Hem putidam ac crassam S. Baptismi profanationem! 3. *Bellarmino & Delrio Durantium* opponimus, qui de *ritibus Ecclesiæ l.* 1, *c.* 12. Baptismi nomen haud aversatur, cum satis sibi fuerit conscius rem ita sese habere, si in hæc verba erumpit. *Baptizantur campanæ, formula vero baptizandi sive benedicendi antiqua est.* Cui tamen perperam *Bellarm.& Delrio* larvam imponere conantur, dicendo: *Non baptizantur, sed tantum benedicuntur.* 4. Imo temeraria hæc est benedictio, neque Pontificiis hæc competit potestas. Nam: Illi soli competit potestas instituendi signa, ad significandos effectus spirituales, qui talia effecta præstare potest. Atqui homines talia effecta præstare nequeunt. E. *Major propos:* patet ex re Sacramētaria. *Minor prop.* est in confesso. 5. Mera committitur petitio principii, quia aliquot Argumentis jam ante probatum ac ostensum, nullam qualitatem in spiritus cadere posse. 6. Ridiculum ac ludicrum campanæ Beati alicujus nomen imponere; falsissima etiam hîc latet hypothesis: Beatos nimirum esse omniscios; quæ controversia, cum ad forum Theologicum pertineat, ne nos falcem alienæ immittamus messi, ideoque Adversarij illuc sunt ablegandi.

In medium quinetiam *Delrio* quædam exempla profert, ex quibus probare conatur, Diabolum á sonitu campanarum fugere. Verum, ut patris mendacij simulandarum imaginum callida operatio, decipiendis humanis sensibus multiformis in-

vigi-

vigilat; ita ut plebeculæ etiam dementet miseræ mẽtem, inque ea sententia ac opinione perseveret, campanæve talem inesse vim, penitus sibi persuadeat, ad earum sonum alacer prompteque secedit ac auffugit, ut ita animas á salute abducat, fidem in Christum omnimode extirpet atque Dei gloriam aboleat.

Denique ex his allatis colligimus, quod Pontificii tonante cœlo campanarum boatu perstrepant, & spectra abigere posse sibi persuasum habeant, id ab Ethnicis, fremente licet ac negante *Delrio*, hausisse, & ex pura puta superstitione, hac in parte, ipsos Paganos sequi. Ridicule enim insensati existimabant Pagani, quoties Luna ex ordinario deliquio deficiebat,

Atque texit mœstam nigra ferrugine frontem,

Lunam laborare, idque ob incantamenta, carmina magica, ipsumque Diabolum, qui hæc perpetrent, ideoque ut hæc prohibeant ac arceant, æris pulsu ipsi subveniebant, quem credebant καθαρόν καὶ ἀπελαστικόν τῶν μιασμάτων uti patet ex commentat. *Apollonii lib. IV.* Idem testatur *Alex: Aphrodiseus in probl.* 43 *l.* 2. si ait. *Inusu fuisse æris sono malos spiritus depelli, eamque ob rem in Lunæ defectu æra moveri.* Hinc etiam Statius *l. VI. Thebaid p.* 125. *canit.*

— *attonitis quoties avellitur astris*
Solis opaca soror, procul auxiliantia gentes
Æra crepant, fruſtraque timent.

Adstipulatur huic *Livius l. XXVI. c.* 5. *Dispositæ*, ait,

ait, *in muris Campanorum imbellis multitudo cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ silenti nocte cieri solet.* Quinetiam *Apollodorus in libro* quem *de Diis* inscriplit, refert, *Hierophantam, id est, Proserpinæ Sacerdotem, tintinnabulum tonante cœlo Athenis pulsare consuevisse.* Videatur quoque *Tacitus Annal: lib:* 1. Hinc evidenter patet, ac satis superque innotescit, ex quibus lacunis Pontificii hanc opinionem hauserint. Suo sese indicio sorex palam prodit. Ac proditum quivis, cui veri aliqua est cura, videt. Hoc ipsorum præcipuum est fundamentum.

Stat igitur sententia, plane anile ac superstitiosum esse, ad jacula ignita, tempestates item, procellas, grandines, tonitrua avertenda; ad Diabolum omnesque ipsius tentationes ac insidias depellendas, ad campanarum æncarum sonitum confugere, harum in fidem ac receptaculum potius confugere, quam flexis genubus á Deo devote expetere, ut hæc avertat; cum ibi, ubi preces cum fide conjunctæ, Spiritus S gratia præsto adsit, in fugam vertantur Dæmones, omnisque adversa potestas fugiat, recedat, ac opprimatur; si grassari eam Deus permittat, & hominibus detrimento esse, illud omne fidelibus in bonum vertat, *Rom.* VIII. Impiis autem & pœnitere nescius, vel gradus ad pœnitentiam struatur, vel Nemesis & vindictæ Divinæ flagello illi percellantur.

Additamenta ex universa Philosophia desumpta.

EX Philos. Gener. *Pestis est superstitiosa illa quorundam Philosophorum admiratio, quorum omne judicium ex aliorum authoritate tantum dependet, mancipia & servi aliorum esse malunt, quam ut ipsi libere philosophari velint, & donis á Deo sibi concessis, ipsi uti.*

2. Logica *Sicuti cognati conveniunt sanguine, sic conjugata significatione.*

3. *Ineptam hanc definitionem Angeli censemus:* Angelus est homo incorporeus.

4. Metaph. *Scite* Avicenna l. VIII. Phys. c. 3. *dixit: Qui primum hoc principium negant:* Quodlibet est, aut non est, *non esse rationibus defatigandos, sed igne tamdiu torrendos, quoad confessi sint, non idem esse uri & non uri.*

5. *Stolidissime Manichæi summum aliquod malum statuerunt principium.*

6. Physica *Cœlum esse coloratum, nemo nisi male colo-*
ratus Philosophus dixerit.

7. *Lunatici plane censendus esset cerebri, qui negaverit, Lunam ac reliqua astra ad nos admirandorum operum effecta, non transmittere. Impius vero, contra, in animum quoq; nostrum operationes exercere suas qui affirmaverit.*

8. Pneumat. *Falsa eorum est assertio, qui Angelos in loco ut puncta esse, pronunciant.*

9. *Anima rationalis est revera forma hominis infor-*
mans

mans, q: icquid alii obstrepant,

10. Optica. *Qui affirmant sensus, organo ac medio bene dispesito, & objecto non procul distante, falli posse, neque ipsorum judicio esse credendum, ut instituantur rationibus, non merentur.*

11. *Colores non inter primarium, sed secundarium visus objectum jure referuntur.*

12. Astronom. *Fatuum esse Fatum Astrologorum asserimus.*

13. *Quod quidam nugati sunt de Intelligentijs, quæ assistant orbibus cœlestibus tanquam formæ, est* ἀφιλοσοφον, *ac Sacræ repugnat Scripturæ.*

14. *Honor neque improbo, neque etiam ab improbo defertur.*

15. *Nequissime Pharisæi, Donatistæ ac Stoici statuunt,* αὐτοχειρίαν, *rem viro sapiente maxime dignam esse.*

16. Oeconom. *Qui propter molestias à conjugio abhorrent, educationemque sobolis fastidiunt, peccant in charitatem.*

17. *Mulieres illæ, quæ alendis fovendisque suis fœtibus nihil operæ impendunt, sed eos alijs committunt, ferocitate brutas pecudes superant.*

18. Politica. *Non est, ut omnes Nationes, Jurisprudentiam recipere debeant Romanã.*

19. *Nequaquam omnis confiscatio bonorum, quæ ob crimen læsæ Majestatis patratum, instituitur, est licita.*

ACCLAMATIO AD RESP.

NOlarum ſonitus numquid ſuccurrere poſſit,
Tempore tonitruum, nos docet ille ſatis.
Noſter amicus, vim naturæ qui bene novit,
Wagnerus præſens, egregius genere.
In Studijs *Wagnere* tuis haud pergere ceſſa,
Quo patriæ proſis opibus ingenij!

Ita accinuit Populari ſuo dilectiſſimo

IOH. HENRICUS WIRTZ. Nobil: Tig: Pol: Stud.

ALIUD.

COeca ſuperſtitio, tenebroſæ filia mentis
Dogmata fœdavit Fidei Papaliſtica pridem.
Nempe Deo noſtras cum non ſubſtringimus aures
Ingenii contra ſequimur figmenta & abortus
Noſtri, quis gliſcit finis, quæ meta malorum?
Sic *Wagnere* doces, flos illibate Iuventæ,
Contra vim ſonitum nil tintinnabula poſſe,
Præſidij in *Ratione* nihil, mendacia cruda
Pingere commentum. Belle! Punctum omne tuliſti.
Agnoſcet quondam Virtutem Patria tellus,
Cum tribuet laudem, cum Te pharus alta micabit!

εὐνόιας *hocce* ἀχιβδήλε *monumentum D. Reſp. doctiſſimo, Conterraneo ſuaviſſimo adjecit*

IOH. RODOLPHUS SIMLERUS. Helv: Tig: